



# GEOMETRIÆ

## PRACTICÆ

### LIBER QVARTVS.



## AREAS

Superficierum planarum inuestigans.



**Q**UEMADMODUM linea recta rectas lineas metitur, ita Geometra superficies planas per superficiem quadratam, & corpora, siue solida, per corpus cubicum metiri solent. Nam sicut linea recta dicitur 100. palmorum in qua linea unius palmi centies continetur, ita superficies plana dicitur 100. palmorum, quæ centies quadratum continet, cuius latus palmo æquale est: & solidum

Penes quid mensura linearum rectorum, planarum superficierum & solidorum sumantur.

100. palmorum illud dicitur, quod complectitur 100. cubos, quorum quilibet latus habet unius palmi: quod de aliis etiam mensuris, ut de pede, cubito, passu, milliario, &c. intelligendum est. Quia vero qualibet superficies tot quadrata cuiusque mensura comprehendere dicitur, quot in parallelogrammo rectangulo, quod illi æquale est, continentur, explicandum primo loco erit, qua ratione area cuiuslibet rectanguli cognoscatur. Deinde de area triangulorum, quadrilaterorum non rectangulorum, ceterarumque figurarum plurium laterum agemus: ac denique circulum, eiusque partes metiemur.

## DE AREA RECTANGVLORVM

### CAPVT I.



**Q**UONIAM Euclides defin. 1. lib. 2. docet, omne parallelogrammum rectangulum contineri sub rectis duabus lineis, quæ rectum comprehendunt angulum; manifestum est, aream cuiusque rectanguli produci ex multiplicatione duorum laterum circa rectum

Area quadrati, & alterius quoque partem cognoscatur.